



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

IX. An multiplicatis terminis multiplicentur Relationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

Ad Confirmationem

CCLXI. Respondeo servum formaliter non referri ad hominem simpliciter; sed quatenus est hic homo habens servum, quod non convenit omnibus hominibus.

CCLXII. Objicies 4^o. oppositio relativa est formaliter inter duas Relationes; atqui inter Relationem & terminum est oppositio Relativa, ergo terminus est relatio, respectus, &c. & non quidpiam absolutum.

CCLXIII. Respondeo distinguendo minorem, atqui inter Relationem & terminum est oppositio relativa, latè sumpta pro distinctione unius ab alio, concedo minorem; nam juxta nostra principia Relatio distinguitur realiter à termino: strictè sumpta, & prout media est inter Relationem & correlationem, nego minorem: hoc modo etiam distinguatur poterit minor, inter Relationem & terminum est oppositio relativa materialis, sive ex parte materialium significatorum Relationis & termini, quæ sunt absoluta entitas fundamenti, & absoluta entitas termini, in quantum scilicet fundamentum non potest esse idem cum termino, concedo minorem: formalis sive ex parte ipsius Relationis & termini ut ipsam terminantis, nego minorem; quia, ut patet in Relatione non mutua, is non debet esse relativus, siquidem Relatio non terminatur ad terminum ut terminum in actu signato, quomodo est formaliter respectivus, sed ad terminum in actu exercito, id est, ad id, quod sit tantum terminus, per hoc, quod Relatio exercitè ad ipsum fundamentum suum referat.

D V B I V M IX.

An multiplicatis terminis multiplicentur Relationes.

CCLXIV. Sensus dubii est, an quando unum relativum terminatur ad plures terminos ejusdem speciei, ut pater ad plures filios, simile ad plura similia, respiciat singulos filios per diversas paternitates, & singula similia per diversas similitudines; an omnia per unam, quam 1^o. habuit, ut communiter affirmant Thomistæ, & omnes, qui Relationem à fundamento realiter intrinsecè distinguunt, pro quo fit

R E S O L U T I O I.

CCLXV. Dico 1^o. multiplicatis simul tempore terminis, non necessario multiplicantur Relationes.

CCLXVI. Probatur, quia, ut fusè suprà probatum est, Relatio sequitur & identificatur formali rationi fundandi; sed illa potest esse una ad terminos simul tempore multiplicatos, sive ad multos terminata, ergo, &c. Probatur minor, quia Relationes primi generis fundantur in conceptu unifico, vel distinctivo, qui potest esse multorum inter se unificus vel distinctivus ut patet; secundi verò fundantur in actione vel quasi actione; passione, vel quasi passione, quæ sicut (ut probatur in Physica) principiari potest à multis simul tempore causis, ita & terminari ad multos simul tempore effectus; formaliter verò in conceptu agentis vel quasi agentis, patientis vel quasi patientis præcisè ut principii quod, & actionis vel quasi actionis, passio-

R. P. Francisci Bone Spei Logica.

nis vel quasi passionis præcisè ut principii quod effectus, vel effectuum, ergo, &c.

CCLXVII. Confirmatur, una est Relatio filii ad patrem & matrem, quia una ratio fundandi filiationem, ergo similiter una est Relatio patris & matris ad multos simul tempore filios (si per Deum ponerentur) quia una est ratio fundandi fundamentaliter ut quod & formaliter ut quo fundans paternitatem, & maternitatem; idem clarius patet in Relationibus primi generis: sicut enim una est Relatio similitudinis, ubi unus conceptus confundit multas albedines v.g. cum albedine A, ita è converso una est, ubi conceptus confundit unam cum multis, & sic de aliis, ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

CCLXVIII. Dico 2^o. multiplicatis successivè terminis, ordinariè multiplicantur Relationes.

CCLXIX. Probatur ut antè, quia Relatio sequitur & identificatur formali rationi fundandi; sed illa ordinariè multiplicatur multiplicatis successivè terminis, ergo, &c. Probatur minor, quia nullus conceptus aut actio attingit terminum, quem à principio non attingit, alioqui termini essent concepti, quia esset ipsorum conceptus, & facti, quia esset eorum fitio sive actio, & non essent, quia unus supponitur esse alio absente, quod implicat, ergo, &c.

CCLXX. Dixi ordinariè, quia necessarium non est, conceptum nostrum ferri successivè in res existentes, sed res successivas simul representare potest, licet ordinariè contrarium contingat spectatà rei exigentiæ.

D V B I V M X.

An detur unicum genus supremum hujus Prædicamenti.

R E S O L U T I O.

CCLXXI. Dico contra Scotum & plures alios Veteres, datur unicum genus supremum hujus Prædicamenti.

CCLXXII. Probatur, quia datur unicum definitum in definitione Relationis, videlicet ipsa Relatio, ergo & unicum genus supremum hujus Prædicamenti.

CCLXXIII. Confirmari potest, tum autoritate Porphyrii Cap. de Specie, ubi docet esse unum genus supremum cujuslibet Prædicamenti, aliàs non fore unicum Prædicamentum; tum quia, si plura forent, tria maximè forent, videlicet Relatio, fundamentum & terminus; sed fundamentum & terminus tale esse non possunt, ergo, &c. Probatur minor, quia, cum communissimè sint entia absoluta, ad hoc Prædicamentum pertinere non possunt, ergo, &c.

CCLXXIV. Objicies, Relatio in genere, quæ est supremum genus, debet habere fundamentum & terminum sibi in genere correspondentem, sed hoc implicat, ergo, &c.

CCLXXV. Probatur, quia, vel essent entia absoluta? & hoc non, quia fundamentum & terminus in communi debent, non secus ac ipsa Relatio, omnibus in particulari convenire, quod non fieret, quia,

O ut